T. MACCI PLAUTI

AULULARIA

IN USUM SCHOLARUM

RECOGNOVIT

P. LANGEN.

MONASTERII GUESTFALORUM
APUD HENRICUM SCHOENINGHIUM.
MDCCCLXXXIX

PRAEFATIO.

In edenda Aulularia Plautina imprimis hoc consilium secutus sum, ut auditoribus in interpretanda comoedia verba ipsa poetae omisso magno apparatu critico ante oculos ponerem, nisi quod ubicumque a codicibus recessi, et traditam scripturam et nomen eius viri docti, cuius emendationem recipiendam putabam, subscripsi omissis tamen plerumque apertis scribendi erroribus et discrepantiis minutis orthographicis, non quod talia omnino non curanda putarem, sed quia haec omnia ad accuratam cognitionem et comoediarum Plautinarum et grammaticae Latinae necessaria egregia Goetzii opera parata habemus. In scribendis praepositionibus, quae cum nominibus aut verbis coniunctae sunt, in universum eam rationem secutus sum, quam commendavit Dorsch in libello qui inscribitur 'Assimilation in den Compositis bei Plautus und Terentius', ceterum pro fundamento fuit mihi, ut par erat, Goetzii editio summa et prudentia et considerantia et ingenii acie parata, a qua si me non totum pependisse iudicaverint viri, penes quos studiorum Plautinorum iudicium est, satis habebo.

Scripsi Monasterii Guestfalorum mense Aprili anni MDCCCLXXXIX

P. Langen.

T · MACCI · PLAVTI

AVLVLARIA

ARGVMENTVM I

Senéx auarus uíx sibi credens Eúclio
Domí suae defóssam multis cúm opibus
Aulam ínuenit rursúmque penitus cónditam
Exánguis amens séruat. eius fíliam
Lycónides uitiárat. intereá senex
Megadórus a soróre suasus dúcere
Vxórem auari gnátam deposcít sibi.
Durús senex uix promíttit atque aulaé timens
Domó sublatam uáriis abstrudít locis.
Insídias seruos fácit huius Lycónidis
Qui uírginem uitiárat: atque ipse óbsecrat
Auónculum Megadórum sibimet cédere
Vxórem amanti. pér dolum mox Eúclio
Quom pérdidisset aúlam, insperato ínuenit
Laetúsque natam cónlocat Lycónidi.

ARGVMENTVM II

Aulám senex repértam plenam auri Eúclio
Vi súmma seruat míseris adféctús modis.
Lycónides istíus uitiat fíliam.
Volt hánc Megadorus índotatam dúcere
Lubénsque ut fáciat dát coquos cum obsónio.
Auró formidat Eúclio, abstrudít foris.
Re omni ínspectata cónpressoris séruolus
Id súrpit: illic Eúclioni rém refert.
Ab eó donatur aúro, uxore et fílio.

1. *sic Goetz in adnotatione;* aulam repertam auri plenam *libri.* 6. fores *libri.* 7. inspectata *Mueller pros. Pl. p.* 757; inspecta *libri.*

PERSONAE

LAR FAMILIARIS PROLOGVS
EVCLIO SENEX
STAPHYLA ANVS
EVNOMIA MVLIER
MEGADORVS SENEX
STROBILVS SERVOS
ANTHRAX COCVS
CONGRIO COCVS
PHRYGIA TIBICINA
ELEVSIVM TIBICINA
PYTHODICVS SERVOS
STROBILVS SERVOS
LYCONIDES ADVLESCENS
PHAEDRA VIRGO

PROLOGVS

LAR FAMILIARIS

Ne quís miretur quí sim, paucis éloquar.
Ego Lár sum familiáris ex hac fámilia
Vnde éxeuntem me áspexistis. hánc domum
Iam múltos annos ést quom possideo ét colo

* * * * * *

Patríque auoque iam húius qui nunc híc habet.
Sed míhi auos huius ópsecrans concrédidit
Aurí thensaurum clam ómnis: in medió foco
Defódit uenerans mé, ut id seruarém sibi.
Is quóniam moritur, íta auido ingenió fuit,
Numquam índicare id fílio uoluít suo:
Inopémque optauit pótius eum relínquere
Quam eúm thensaurum cómmostraret fílio.
Agrí reliquit éi non magnúm modum,
Quo cúm labore mágno et misere uíueret.
Vbi is óbiit mortem quí mi id aurum crédidit,
Coepi óbseruare, ecquí maiorem filius
Mihi honórem haberet quam éius habuissét pater.
Atque ílle uero mínus minusque impéndio
Curáre minusque me ímpertire honóribus.
Item á me contra fáctumst: nam item obiít diem

* * * * * * *

Is ex se húnc reliquit qui híc nunc habitat fílium
Paritér moratum, ut páter auosque huiús fuit.

---

5. *ante hunc versum nonnulla exciderunt, quare factum est, ut constructio sententiae sit turbata et nomen Euclionis desideretur.* patrique *Aldus;* patri *libri.* 7. Auri thensaurum *Camerarius;* Thesaurum auri *libri.* 16. ecqui *Gulielmius;* et qui *libri.* 20. die *libri; post hunc versum nonnulla exciderunt.*

Huic filia unast: éa mihi cotídie
Aut túre aut uino aut áliqui semper súpplicat:
Dat míhi coronas. éius honoris grátia
Fecí, thensaurum ut híc reperiret Eúclio,
Quo illám facilius núptum, si uellét, daret.
Eám compressit dé summo adulescéns loco.
Is scít adulescens quaé sit, quam comprésserit:
Illa íllum nescit néque compressam autém pater.
Eam ego hódie faciam ut híc senex de próxumo
Sibi uxórem poscat. íd ea faciam grátia,
Quo ille eám facilius dúcat qui comprésserat.
Et híc qui poscet eám sibi uxorém senex,
Is ádulescentis íllius est auónculus,
Qui illám stuprauit nóctu, Cereris uígiliis.
Sed híc senex iam clámat intus út solet.
Anúm foras extrúdit, ne sit cónscia.
Credo aúrum inspicere uólt, ne surruptúm siet.

---

28. Eam compressit *ego;* Nam compressit eam *libri.* 36. *versus non Plautinus, cfr. symb. mea Plautina p.* 196 *et studia p.* 247.

EUCLIO. STAPHYLA I 1

Euc. Exi, ínquam, age exi: exeúndum hercle hinc est tíbi foras,
Circúmspectatrix cum óculis emissíciis.
Sta. Nam cúr me miseram uérberas? *Euc.* Vt mísera sis
Atque út te dignam mála malam aetatem éxigas.
Sta. Nam quá me nunc causa éxtrusisti ex aédibus?
Euc. Tibi egó rationem réddam, stimulorúm seges?
Illúc regredere ab óstio: illuc sís uide,
Vt incédit. at scin quó modo tibi rés se habet?
Si hercle hódie fustem cépero aut stimulum ín manum,
Testúdineum istum tíbi ego grandibó gradum.
Sta. Vtinám me diui adáxint ad suspéndium
Potiús quidem quam hoc pácto apud te séruiam.
Euc. At út scelesta sóla secum múrmurat.
Oculôs hercle ego istos, ímproba, ecfodiám tibi,
Ne me ópseruare póssis, quid rerúm geram.
Abscéde etiam nunc, étiam nunc. *Sta.* Etiám? *Euc.* Ohe,
Istíc astato. si hércle tu ex istóc loco
Digitúm transuorsum aut únguem latum excésseris,
Aut sí respexis, dónicum ego te iússero,
Contínuo hercle ego te dédam discipulám cruci.
Sceléstiorem me hác anu certó scio
Vidísse numquam. nímisque ego hanc metuó male,
Ne mi éx insidiis uérba imprudentí duit
Neu pérsentiscat, aúrum ubist abscónditum:

---

40. hercle hinc est tibi *ego;* hercle tibi hinc est *libri.* 44. me qua B; qua me nunc DEJ. ex aedibus B; his exedibus EJ; aedibus D. 46. regredere JE^{3}; regrede BDE^{1}. 48. hercle hodie *Studemund stud. I p. 289;* hodie B^{1}; hodie hercle DEJ. 49. grandivo *Nonius p.* 115; gradibo *libri.* 55. etiam nunc *alterum om.* B; Staph. Etiamne? Eucl. Ohe *Bothe;* etiam ohe *libri; si Staphylam interrogare statuimus, hiatum ferri posse puto.* 56. adstato *Gruter;* atasto *libri.* 60. certo *Francken;* certe *libri.*

Quae in óccipitio quóque habet oculos péssuma.
Nunc íbo ut uisam, sítne ita aurum ut cóndidi,
Quod mé sollicitat plúrumis miserúm modis.
Sta. Noenúm mecastor quíd ego ero dicám meo
Malaé rei euenísse quamue insániam,
Queo cómminisci: íta me miseram ad húnc modum
Deciés die uno saépe extrudit aédibus.
Nescío pol quae illunc hóminem intemperiaé tenent:
Peruígilat noctes tótas: tum autem intérdius
Quasi claúdus sutor dómi sedet totós dies.
Neque iám quo pacto célem erilis fíliae
Probrúm, propinqua pártitudo quoi áppetit,
Queo cómminisci: néque quicquam meliúst mihi,
Vt opínor, quam ex me ut únam faciam lítteram
Longám, [meum] laqueo cóllum quando opstrínxero.

EVCLIO. STAPHYLA I 2

Euc. Nunc défaecato démum animo egrediór domo,
Postquám perspexi sálua esse intus ómnia.
Redi núnciam intro atque íntus serua. *Sta.* Quíppini
Ego íntus seruem né quis aedes aúferat?
Nam hic ápud nos nil est áliud quaesti fúribus:
Ita ināniis sunt óppletae atque aráneis.
Euc. Mirúm quin tua me caúsa faciat Iúppiter
Philíppum regem aut Dáreum, triuenéfica.
Aráneas mihi égo illas seruarí uolo.
Paupér sum, fateor, pátior: quod di dánt fero.
Abi íntro, occlude iánuam: iam ego híc ero.
Caue quémquam alienum in aédis intromíseris.
Quod quíspiam ignem quaérat, extinguí uolo,
Ne caúsae quid sit quód te quisquam quaéritet.
Nam si ígnis uiuet, tu éxtinguere extémpulo.
Tum aquam aúfugisse dícito, si quís petet.
Cultrúm, securim, pístillum, mortárium,
Quae uténda uasa sémper uiciní rogant,
Furés uenisse atque ábstulisse dícito.

---

65. sitne *Pylades;* estne *libri.* 78. Longam *Scutarius;* Longum *libri;* meum *add. Camerarius; om. libri.* 82. seruem ne quis *ego*; seruem? an nequis *libri; cfr. symb. mea Plaut. p.* 123. 83. nil *ego;* nihil *libri;* nil *apud Plautum semper una syllaba dicendum,* nili nilo *duabus; cfr. Brix ad Mil. gl.* 905. 85. me *Camerarius;* nunc me *libri.*

Profécto in aedis meás me apsente néminem
Volo íntromitti. atque étiam hoc praedicó tibi,
Si Bóna Fortuna uéniat, ne intromíseris.
Sta. Pol ea ípsa credo ne íntromittatúr cauet:
Nam ad aédis nostras núsquam adiit quamquám prope est.
Euc. Tace átque abi intro. *Sta.* Táceo atque abeo.
Euc. Occlúde sis
Forés ambobus péssulis. iam ego híc ero.
Discrúcior animi, quía ab domo abeundúmst mihi.
Nimis hércle inuitus ábeo: sed quid agám scio.
Nam nóster nostrae quíst magister cúriae
Diuídere argenti díxit nummos ín uiros:
Id sí relinquo ac nón peto, omnes ílico
Me súspicentur, crédo, habere aurúm domi.
Nam nón est ueri símile homonem paúperem
Pauxíllum parui fácere quin nummúm petat.
Nam núnc quom celo sédulo omnis, né sciant,
Omnés uidentur scíre et me benígnius
Omnés salutant quám salutabánt prius.
Adeúnt, consistunt, cópulantur déxteras:
Rogitánt me, ut ualeam, quíd agam, quid rerúm geram.
Nunc quó profectus sum íbo: postideá domum
Me rúrsum quantum pótero tantum récipiam.

EVNOMIA. MEGADORVS II 1

Eun. Velím te arbitrári med haéc uerba, fráter,
Meái fidéi tuáique réi
Causá facere, ut aéquomst germánam sorórem.
Quamquam haúd falsa súm nos odiósas habéri:
Nam múltum loquáces merito ómnes habémur
Nec úllam profécto repértam esse mútam
[In térra unquam] dícunt mulíerem ullo in saéclo.

---

102. est *om. libri praeter B.* 105. *Guyet praepositionem* ab *delebat, quem secuti sunt Abraham stud. Plaut. p.* 198 *et Baier de Plauti fabularum recensionibus p.* 47, *sed servanda videtur, quia Euclio aedificium ipsum intellegit.* 106. sed quid J; siquid BDE. 111. homonem *Spengel T. Macc. Pl. p.* 223; hominem *libri.* 112. quin JE^3; qui BDE^1. 118. postidea *Camerarius;* post idem *libri.* 120. med *Guyet;* me *libri.* 121. meai fidei tuaique *Reiz;* meae fidei tuaeque *libri;* rei *Pius;* rei haec *libri.* 125. *sic Leo scripsit;* Nec mutam profecto repertam ullam esse *libri.* 126. in terra unquam *add. ego; om. libri;* dicunt *ego;* hodie dicunt *libri;* hodie *sana sententia caret, versus autem quin fuerit tetrameter acatalectus, dubitari vix potest.*

Verum hóc, frater, únum tamén cogitáto,
Tibí proxumám me mihíque esse itém te.
Ita aéquomst quod ín rem esse utríque arbitrémur
Et míhi te et tibí me consúlere et monére:
Neque óccultum habéri id nec pér metum mussári,
Quin párticipem egó te et paritér tu me fácias.
Eo núnc ego secréto forás te huc sedúxi,
Vtí tuam rem ego técum hic loquerér familiárem.
Meg. Da mánum mi femina óptuma.
Eun. Vbi eást aut quis east nam óptuma?
Meg. Tu. *Eun.* Túne ais? *Meg.* Si négas, nego.
Eun. Decet te équidem uera próloqui.
Nam optúma nulla potest éligi:
Alia ália peior, fráter, est. *Meg.* Idem ego árbitror,
Nec tíbi aduorsari cértumst de hac re unquám, soror.
Eun. Da óperam, amabó. *Meg.* Tuast: útere atque ímpera,
Sí quid uis. *Eun.* Íd quod in rém tuam esse óptumum
Árbitror, te id mónitum aduento.
Meg. Quid ést id, sorór? *Eun.* Quod tibí sempitérnum
Salútare sít *Meg.* Liberís procreándis?
Eun. Ita dí faxínt: uolo te úxorem
Domum dúcere. *Meg.* Ei occidís. *Eun.* Quid ita?
Meg. Quia mí misero cerebrum éxcutiunt
Tua dícta, soror: lapidés loqueris.
Eun. Heia, hóc face quod te iúbet soror. *Meg.* Si lúbeat faciam.
Eun. In rem hóc tuamst. *Meg.* Vt prius quidem quam dúcam emoriar.
Sed [támen soror] si his légibus quam dáre uis, ducam:

---

128. esse item *Bentley;* item esse *libri.* 129. Ita *Taubmann;* Ut *libri.* 130. me *om.* BDE[1]; *add.* JE[3]. 131. haberi id *Reiz;* id haberi *libri.* nec *Francken;* neque *libri.* 132. ego te et pariter *ego;* pariter ego te et *libri;* facias *Lambinus;* ut facias *libri.* 133. foras te huc *Hermann;* te huc foras *libri.* 134. Uti *Seyffert;* Ut *libri* 135. *sic Mueller pros. Plaut. p.* 618; Da mihi optuma femina manum *libri.* 136. aut quis *Goetz;* quis *libri.* 139. *numeri iambici metrorum lyricorum liberiores videntur fuisse quam diverbiorum, cfr. ad* V. 156. 142. de hac re *ego;* de istac re *libri; cfr. Abraham stud. Plaut. p.* 212. 143. Da *Hermann;* Da mihi *libri.* 144. esse optumum *Hermann;* optumum esse *libri.* 146. M. soror more tuo facis E. Facto (facta DEJ) volo. M. Quid est id, soror *libri; verba* soror more — volo *delevit Francken.* 148. Meg. *om. libri; add. Goetz.* 149. Ita di faxint *libri Meg. tribuunt; Goetz Eunom.* 150. occidis *Weise;* occidi *libri.* 154. Ut prius quidem quam ducam emoriar *Hermann;* ut quidem emoriar priusquam ducam *libri.* 155 *om.* DEJ; sed tamen soror *add. ego; om. B.* si his legibus *Goetz;* his legibus si B. 156. *versus iambicus lyricus, qui dicitur Reizianus,*

Quae crás ueniat, peréndie forás feratur.
His légibus dare vís? cedo; nuptiás adorna.
Eun. Cum máxuma possúm tibi, fratér, dare dote:
Sed est grándior: nam múlieris est. aétas media.
Eam sí iubes, fratér, tibi me póscere, poscam.
Meg. Núm non uis me intérrogare te? *Eun.* Ímmo si quid uís, roga.
Meg. Póst mediam aetatém qui media dúcit uxorém domum
Si eám senex anúm praegnantem fórtuito fécerit,
Quíd dubitas, quin sít paratum nómen puero Póstumus?
Núnc ego istum, sorór, laborem démam et deminuám tibi.
Égo uirtute deum ét maiorum nóstrum diues súm satis.
Ístas magnas fáctiones, ánimos, dotes dápsiles,
Clámores, impéria, eburata uehicla, pallas, púrpuram,
Níl moror quae in séruitutem súmptibus redigúnt uiros.

* * * * * * *

Eun. Díc mihi, quaeso, quís east quam uis dúcere uxorem? *Meg.* Éloquar.
Nóstin hunc senem Eúclionem ex próxumo paupérculum?
Eun. Nóui hominem haud malúm mecastor. *Meg.* Éius cupio fíliam
Vírginem mihi désponderi: uérba ne faciás, soror.
Scío quid dicturá 's: hanc esse paúperem: haec paupér placet.
Eun. Dí bene uortant. *Meg.* Ídem ego spero [fóre]. *Eun.* Me numquid uís? *Meg.* Vale.

non tam severis legibus adstrictus est, quam senarius diverbii: habes ictum in ultima syllaba vocabuli anapaestici in secundo pede 156; 421; 424; 435; 437; 443; dissyllabam thesim in duo vocabula distributam 422; 428; 432; 443; 446; vocabulum dactylicum dactylum aequans 160; 429; 441. Mensuram anapaesticam posterioris partis huius versus, quam proposuit Spengel Reformvorschläge p. 294 et probavit Havet révue de phil. XI, 147, falsam puto. 156. feratur ***Reiz;*** feratur soror ***libri.*** 157. ***sic Leo;*** legibus quam dare ***libri;*** his legibus cedo nuptias soror adorna ***Goetz, sed*** cedo ***nunquam apud Plautum ea ratione qua*** age ***ad imperativum additur;*** nuptias ***duabus syllabis videtur dicendum esse; cfr.*** ad v. 156. 158. Cum ***Gruter;*** Quam ***libri.*** 159. grandior nam ***Goetz;*** grandior natu ***libri;*** mulieris est aetas media ***Bothe;*** media est mulieris aetas ***libri.*** 163. fortuito DEJ; fortuitu B. 166. nostrum ***Gruter (cfr. Capt.*** 324); nostrorum ***libri.*** 168. eburna ***Goetz ex coniectura Guyeti, sed vehicula non sunt*** eburna ***i. e.*** ex ebore facta, ***proceleusmaticus in*** imperia eburata ***Goetzio suspectus ferendus videtur, cfr. Abraham stud. Plaut. p. 228;*** vehicula ***libri.*** 170. ***ante hunc versum nonnulla videntur excidisse, quibus Megadorus se de certa quadam virgine in matrimonium ducenda cogitare vel iam cogitasse significavit.*** 171. Novistin ***libri.*** 175. fore ***add. ego; om. libri;*** me numquid ***ego;*** quid me nunc quid ***libri.***

Eun. Ét tu, frater. *Meg.* Égo conueniam Eúclionem, sí domist.
Séd eccum [video]: néscio unde sése homo recipit domum.

EVCLIO. MEGADORVS II 2

Euc. Praésagibat mi ánimus frustra me íre, quom exibám domo.
Ítaque abibam inuítus: nam neque quísquam curiálium
Vénit neque magíster quem diuídere argentum opórtuit.
Núnc domum properáre propero: nam égomet sum hic, animús domist.
Meg. Sáluos atque fórtunatus, Eúclio, sempér sies.
Euc. Dí te ament, Megadóre. *Meg.* Quid tu? récten atque ut uís uales?
Euc. Nón temerariúmst, ubi diues blánde appellat paúperem.
Iam íllic homo aurum scít me habere, eo mé salutat blándius.
Meg. Áin tu te ualére? *Euc.* Pol ego haud pérbene a pecúnia.
Meg. Pól sist animus aéquos tibi, sat hábes, qui bene uitám colas.
Euc. Ánus hercle huic indícium fecit de aúro: perspicué palamst.
Quoí ego iam linguám praecidam atque óculos effodiám domi.
Meg. Quíd tu solus técum loquere? *Euc.* Meám pauperiem cónqueror.
Vírginem habeo grándem, dote cássam atque inlocábilem,
Néque eam queo locáre quoiquam. *Meg.* Táce: bonum habe animum, Eúclio:
Dábitur: adiuuábere a me: díc, si quid opust, ímpera.
Euc. Núnc petit, quom póllicetur: ínhiat aurum ut déuoret.
Áltera manú fert lapidem, pánem ostentat áltera.
Némini credó qui large blándust diues paúperi.
Ýbi manum inicít benigne, ibi ónerat aliqua zámia.
Égo istos noui pólypos qui ubi quícquid tetigerúnt tenent.
Meg. Dá mi operam parúmper: paucis Eúcliost quod té uolo
Dé communi re áppellare mea ét tua. *Euc.* Ei miseró mihi.

---

176. *hiatum in diaeresi septenariorum et octonariorum ferri posse puto.* 177. video *add. Klette exercit. Terent. p. 21; om. libri.* 181. *scripturam librorum* properare propero *vix sanam esse puto.* 185. scit me *Bothe;* me scit *libri.* 186. perbene a pecunia *Guyet;* apecunia perbene *libri.* 187. sat *Hare;* satis *libri.* 191. Filiam habeo grandem cassa dote atque inlocabili *Varro de ling. lat. V,* 14; ab hoc versu usque ad 605 deficit E. 197. aliqua zamia *Guyet;* aliquam zamiam *libri.*

Aúrum mi intus hárpagatumst. núnc hic eam rem uólt, scio,
Mécum adire ad páctionem: uérum interuisám domum.
Meg. Quó abis? *Euc.* Iam [ego] ad té reuortar: námst quod inuisám domum.
Meg. Crédo edepol, ubi méntionem ego fécero de fília,
Mi út despondeát, sese a me déríderi rébitur.

* * * * *

Néque illo quisquamst álter hodie ex paúpertate párcior.
Euc. Dí me seruant, sálua res est: * * * *
Nímis male timuí. priusquam intro rédii, exanimatús fui.
Rédeo ad te, Megadóre, si quid mé uis. *Meg.* Habeo grátiam.
Quaéso quod te pércontabor, ne íd te pigeat próloqui.
Euc. Dúm quidem ne quid pérconteris, quód non lubeat próloqui.
Meg. Díc mihi, quali me árbitrare génere prognatúm? *Euc.* Bono.
Meg. Quíd fide? *Euc.* Boná. *Meg.* Quid factis? *Euc.* Néque malis neque ímprobis.
Meg. Aétatem meam scís? *Euc.* Scio esse grándem item ut pecúniam.
Meg. Cérte edepol equidém te ciuem síne mala omni málitia
Sémper sum arbitrátus et nunc árbitror. *Euc.* Aurum huíc olet.
Quíd nunc me uis? *Meg.* Quóniam tu me et égo te qualis sís scio:
Quaé res recte uórtat mihique tíbique tuaeque filiae,
Fíliam tuám mi uxorem pósco: promitte hóc fore.
Euc. Heía Megadore, haúd decorum fácinus tuis factís facis,
Vt inopem atque innóxium abs te atque ábs tuis me inrídeas.
Nám de te neque ré neque uerbis mérui, ut faceres quód facis.
Meg. Néque edepol ego té derisum uénio neque derídeo:
Néque dignum arbitrór. *Euc.* Cur igitur póscis meam gnatám tibi?
Meg. Vt propter me tíbi sit melius míhique propter te ét tuos.
Euc. Vénit hoc mi, Megadóre, in mentem, téd esse hominem díuitem,

---

203. ego *add. Mueller Add. ad pros. Plaut. p.* 102; *om. libri.* invisam *Ritschl nov. exc. Pl. p.* 80; visam *libri. post v.* 205 *lacunam indicavit Wagner.* 207. salvum est si quid non perit *add. libri, quod frustra defendere conatus est Ussing, verba haec interpretationis causa primo ad marginem adscripta vere Plautina loco videntur movisse.* 211. quod non *Guyet;* quod mihi non *libri; cfr. Sigismund de* haud *negationis usu p.* 236. 226. ted *Acidalius;* te *libri.*

Fáctiosum, me aútem esse hominem paúperum paupérrumum.
Núnc si filiám locassim meám tibi, in mentém uenit,
Té bouem esse et mé esse asellum: ubi técum coniunctús siem,
Vbi onus nequeam férre pariter, iáceam ego asinus ín luto:
Tú me bos magis haúd respicias, gnátus quasi numquám siem.
Ét te utar iníquiore et méus med ordo irrídeat.
Neútrubi habeam stábile stabulum, sí quid diuortí fuat.
Ásini me mordícibus scindant, bóues incursent córnibus.
Hóc magnumst períclum, ab asinis ád boues transcéndere.
Meg. Quam ád probos propínquitate próxume te adiúnxeris,
Tam óptumumst: tu cóndicionem hanc áccipe: auscultá mihi

* * * * *

Átque eam despondé mi. *Euc.* At nil est dótis quod dem. *Meg.* Né duas.
Dúm modo moráta recte uéniat, dotatást satis.
Euc. Eó dico, ne mé thensauros répperisse cénseas.
Meg. Nóui: ne doceás. desponde. *Euc.* Fíat: sed pro Iúppiter,
Num égo disperii? *Meg.* Quíd tibist? *Euc.* Quid crépuit quasi ferrúm modo?
Meg. Híc apud me hortúm confodere iússi. sed ubi hic ést homo?
Ábiit neque me cértiorem fécit: fastidít mei.
Quía uidet me súam amicitiam uélle, more hominúm facit.
Nám si opulentus ít petitum paúperioris grátiam,
Paúper metuit cóngrediri. pér metum male rém gerit.
Ídem quando occásio illaec périit, post seró cupit.
Euc. Si hércle te non élinguandam dédero usque ab radícibus
Impero auctorque égo sum uti me quoí uis castrandúm loces.
Meg. Vídeo hercle ego te me árbitrari, Eúclio, hominem idóneum,

---

227. me autem *Brix nov. annal. vol.* 91, 57; me item *libri.* 232. med *Acidalius;* me *libri.* 233. divorti *Lipsiensis cod.;* devorti *ceteri libri.* 234. me mordicibus *Nonius p.* 139 (cfr. Buecheler in arch. Woelffl. I, 105); me mordicus *libri.* 235. ab asinis *Camerarius;* me ab asinis *libri.* 238. eam *in proximis non habet quo apte referri possit, quare Leo in adnotatione* gnatam desponde mi *scribendum proposuit; mihi versus excidisse videtur, quo Megadorus numquam fore ut pater aut filia a se sperneretur, affirmavit Euclionemque bono animo esse iussit.* 244. hic est *Lips. cod.;* hinc est *ceteri libri.* 248. congrediri *Acidalius* (*cfr. symb. Plaut. p.* 82); congredi *libri.* 249. occasio illaec *Hare;* illaec occasio *libri.* 250. hercle *ego;* hercle ego *libri.* 251. auctorque ego *Guyet;* auctorque *libri*; uti *Leo;* ut tu B^2, ut *ceteri libri.* 252. te me J; te *cum rasura post*

Quém senecta aetáte ludos fácias, haud meritó meo.
Euc. Néque edepol, Megadóre, facio néque, si cupiam, cópiast.
Meg. Quíd nunc? etiam míhi despondes fíliam? *Euc.* Illis légibus,
Cúm illa dote quám tibi dixi. *Meg.* Spónden ergo? *Euc.* Spóndeo.
Meg. Dí bene uortant. *Euc.* Íta di faxint: íllud facito ut mémineris
Cónuenisse, ut né quid dotis mea ád te adferret fília.
Meg. Mémini. *Euc.* At scio quo uós soleatis pácto perplexárier:
Páctum non pactúmst, non pactum pactumst, quod uobís lubet.
Meg. Núlla controuérsia mihi técum erit: sed núptias
Hódie quin faciámus num quae caúsast? *Euc.* Immo hercle óptuma.
Meg. Íbo igitur, parábo. numquid mé uis? *Euc.* Istuc . . . *Meg.* Eí, vale
Meg. Heús, Strobile, séquere propere mé ád macellum strénue.
Euc. Íllic hinc abiit. di ínmortales ópsecro, aurum quíd ualet.
Crédo ego illum iam índaudisse míhi esse thensaurúm domi:
Íd inhiat, ea adfínitatem hanc ópstinauit grátia.

EVCLIO. STAPHYLA II 3

Euc. Vbi tu's quae debláterauisti iám uicinis ómnibus
Meaé me filiaé daturum dótem? heus, Staphyla, té uoco.
Écquid audis? uáscula intus púre propera atque éluc.
Fíliam despóndi ego: hodie huic núptum Megadoró dabo.
Sta. Dí bene uortant: uérum ecastor nón potest: subitúmst nimis.
Euc. Táce atque abi; curáta fac sint quom á foro redeám domum,
Átque occludito aédis: iam ego hic ádero. *Sta.* Quid ego núnc ágam?
Núnc nobis prope adést exitium, mi átque erili fíliae.
Núnc probrum atque pártitudo própe adest, ut fiát palam.

---

hoc pronomen D; me B. 257. Di *Pylades;* Istuc di *libri;* facito *libri;* scito B[1]. 262. hercle *Brix nov. annal. 91, 57;* edepol *libri.* 263. Istuc. M. ei vale *ego;* Istuc fiet vale *libri; cfr.* 458 *et Lorenz ad* ***Mil. gl. 521.*** 266. indaudisse *Goeller;* inaudisse *libri;* inaudivisse ***Nonius p. 500; sed*** inaudiendi *verbi formae* d *littera omissa non* ***Plautinae sunt.*** 271. ego: hodie *editio princeps;* hodie ego *libri.* 274. occludito *Bothe;* occlude *libri.*

Quód celatum atque óccultatumst úsque adhuc, nunc nón potest.
Ibo intro, ut erus quae ímperauit, fácta quom ueniát sient.
Nám ecastor malúm maerorem métuo, ne inmixtúm bibam.

STROBILVS. ANTHRAX. CONGRIO II 4

Str. Postquam ópsonauit érus et conduxít coquos
Tibícinasque hasce ápud forum, edixít mihi,
Vt díspertirem opsónium hic bifáriam.
Ant. [Tu] mé quidem hercle hic tám palam non díuides.
Si quó tu totum me íre uis, operám dabo.
Con. Bellum ét pudicum uéro prostibulúm popli.
Pol sí quis uellet te, haúd nevelles díuidi.
Str. Atqui égo istuc, Anthrax, áliouorsum díxeram,
Non ístuc quo tu insímulas: sed erus núptias
Meus hódie faciet. *Ant.* Quóius ducit fíliam?
Str. Vicíni huius Eucliónis [hinc] e próxumo.
Ei ádeo opsoni hinc dímidium iussít dari,
Cocum álterum itidemque álteram tibícinam.
Ant. Nempe huíc dimidium dícis, dimidiúm domum?
Str. Nempe sícut dicis. *Ant.* Quíd? hic non poterat dé suo
Senex ópsonari fíliai núptiis?
Str. Vah. *Ant.* Quíd negotist? *Str.* Quíd negoti sít rogas?
Puméx non aequest árdus atque hic ést senex.
Ant. Ain tándem? itast ut dícis? *Str.* Tute existuma:
Quin díuom atque hominum clámat continuó fidem,
Suam rém perisse séque eradicárier,
De suó tigillo fúmus si qua exít foras.
Quin quom ít dormitum, fóllem obstringit ób gulam.
Ant. Cur? *Str.* Né quid animae fórte amittat dórmiens.
Ant. Etiámne obturat ínferiorem gútturem,
[Ibi] né quid animae fórte amittat dórmiens?

---

279. immixtum *Gruter;* minixtum BD; mixtum J. 280. *de personarum distributione inde ab hoc versu cfr. Goetzii adnotationes, ego nihil adscripsi nisi ubi a Goetzii ratione discessi. incipit actus tertius.* Postquam DJ; Posquam B. 283 Tu *add. Mahler de pron. pers. coll. p.* 19; hic tam palam *Lipsius;* dicam palam *libri.* 286. Pol. *Brix nov. annal. 91, 57;* post *libri.* nevelles *Goeller;* non velles *libri.* 287. Atqui *Pylades;* Atque *libri.* 288. quo *Bothe;* quod *libri.* 290. hinc *add. Pylades; om. libri.* 293. domum *Acidalius;* domi *libri.* 295. filiai *Scaliger;* filiae in *libri;* cfr. 372; 540; 797. 297. ardus *Seyffert stud. Plaut. p.* 6; aridus *libri.* 298. ita est *Acidalius;* Ita esse *libri.* 299. 300. *hoc ordine Gulielmius, inverso libri.* 305. Ibi *add. Ritschl nov. exc. Plaut. p. 48; om. libri.*

Str. Sic míhi te ut tibi med aéquomst credo crédere.
Ant. Immo équidem credo. *Str.* Át scin etiam quómodo?
Aquam hércle plorat, quóm lauat, profúndere.
Ant. Censén talentum mágnum exorarí pote
Ab istóc sene, ut det quí fiamus líberi?
Str. Famem hércle utendam, sí roges, numquám dabit.
Quin ípsi pridem tónsor unguis démpserat:
Conlégit, omnia ápstulit praeségmina.
Ant. Edepól mortalem párce parcum praédicas.
Con. Censén uero adeo párcum et miserum uíuere?
Str. Pulméntum pridem edénti eripuit míluos:
Homo ád praetorem plórabundus déuenit:
Infít ibi postuláre, plorans, éiulans,
Vt síbi liceret míluom uadárier.
Sescénta sunt quae mémorem, si sit ótium.
Sed utér uostrorumst célerior? memorá mihi.
Ant. Ego, et múlto melior. *Str.* Cócum ego, non furém rogo.
Ant. Cocum érgo dico. *Str.* Quíd tu ais? *Con.* Sic sum, út uides.
Ant. Cocus ílle nundinálist, in nonúm diem
Solet íre coctum. *Con.* Tún trium litterárum homo
Me uítuperas? fur! étiam fur! trifúrcifer!
Str. Tace núnciam tu: atque ágnum hinc uter est pínguior
[Eum cápe]. *Ant.* Licet. *Str.* Tu, Cóngrio, sume [álterum]
Atque íntro abi illuc ét vos illum séquimini:
Vos céteri ite huc ád nos. *Con.* Hercle iniúria
Dispértiuisti: pínguiorem agnum ísti habent.

306. Sic *Ussing*; Nęc B. Haec DJ. med *Scaliger*; me *libri*. credo credere *Pylades*; credere credo *libri*. 309. pote *Kampmann de* ab *praepos. p. 19*; potest *libri*. 315. *Strobilo dant libri; Anthraci Goetz*. parcum et miserum *Seyffert stud. Plaut. p. 9;* esse parcum et misere *libri*. 316. edenti *Leo;* ei *libri*. 322. Ego et *Mueller pros. Plaut. p. 374;* Ego ut *libri*. 323. ergo *Acidalius;* ego *libri*. 326. *totum versum uni coco tribuit Acidalius; Goetz* me vituperas *Congrioni, quae sequuntur Anthraci*. 327. *verba haec Strobilus ad Anthracem conversus dicit, cum eum aliquid responsurum animadverterit, Anthraci autem dat agnum pinguiorem et tibicinam graciliorem Eleusium; Phrygia pinguior tibicina cum agno graciliore Congrionem in domum Euclionis sequitur, cfr. 557 sqq., 561 sqq. et Dziatzko mus. Rhen. 37, 269; itaque a Goetzii totius loci conformatione discedendum erat neque magis probari possunt, quae Havet proposuit révue de phil. XII, 109.* 328. Eum cape *add. Ussing; om. libri*. sume *Leo;* eum sume *libri*. alterum *add. Ussing; om. libri*. 329. intro abi *Camerarius;* abi intro *libri*. 330. ite huc *Koch nov. ann. 107, 840;* illuc *libri*. *verba* hercle iniuria *et v. 331 Congrioni dat ed. pr.; Goetz cum BJ Anthraci.*

Str. At núnc tibi dabitur pínguior tibícina.
I sáne cum illo, Phrúgia: tu autem, Eleúsium,
Huc íntro abi ad nos. *Con.* O Strobile súbdole,
Hucíne detrusti me ád senem parcíssumum?
Vbi sí quid poscam usque ád rauim poscám prius
Quam quícquam detur. *Str.* Stúltus et sine grátia's.
Tibi récte facere, quándo quod faciás perit.
Con. Qui uéro? *Str.* Rogitas? iám principio in aédibus
Turba ístic nulla tíbi erit: si qui utí uoles,
Domo ábs te ádferto, ne óperam perdas póscere.
Hic aútem apud nos mágna turba ac fámiliast,
Supéllex, aurum, uéstis, uasa argéntea:
Ibi sí perierit quíppiam, (quod té scio
Facile ápstinere pósse, si nihil óbuiamst)
Dicánt, coqui apstulérunt: comprehéndite,
Vincíte, uerberáte, in puteum cóndite.
Horúnc tibi istic níl eueniet: quíppe qui
Ibi quód surrupias níl est: sequere hac mé. *Con.* Sequor.

STROBILVS. STAPHYLA. CONGRIO II 6

Str. Heus, Stáphyla, prodi atque óstium aperi. *Sta.* Quí uocat?
Str. Strobílus. *Sta.* Quid uis? *Str.* Hós ut accipiás coquos
Tibícinamque opsóniumque in núptias.
Megadórus iussit Eúclioni haec míttere.
Sta. Cererín, Strobile, hi súnt facturi núptias?
Str. Qui? *Sta.* Quía temeti níl adlatum intéllego.
Str. At iam ádferetur, si á foro ipsus rédierit.
Sta. Ligna híc apud nos núlla sunt. *Con.* Sunt ásseres?
Sta. Sunt pól. *Con.* Sunt igitur lígna, ne quaerás foris.
Sta. Quid? ímpurate, quámquam Volcanó studes,
Cenaéne causa aut tuaé mercedis grátia

---

335. detrusti *Acidalius;* detrusisti *libri.* 336. poscam usque ad ravim poscam *Gruter et Taubmann;* poscamus quae adaravin poscamus *libri;* poscamus que ad ravim poscam *Nonius p. 164 et 374.* 338. *versus non Plautinus; del. C. W. Weise.* 340. istic *Taubmann;* istuc *libri.* si qui *Camerarius;* si quid *libri.* 342. autem *om. B.* 344. perierit *cod. Lips.;* periverit BDJ. 348. Horunc *Bothe;* Horum *libri.* 349. Ibi *Dziatzko mus. Rhen. 37, 272;* Ubi *libri.* quod *Faernus;* quid *libri.* 349. surripias *Lambinus;* subripiat BD; *om.* J. 354. hi sunt facturi *Macrobius sat. III, 11;* has facturi *libri;* has sunt facturi *Festus p. 364.* 360. cenaene *Pius;* caenae ve *libri.*

Nos nóstras aedis póstulas combúrere?
Con. Haud póstulo. *Str.* Duc ístos intro. *Sta.* Séquimini.

Str. At ego ínteruisam [nóstri] quid faciánt coqui: II 7
Quos pól ut ego hodie séruem, cura máxumast.
Nisi únum hoc faciam, ut ín puteo cenám coquant:
Inde cóctam sursum súbducemus córbulis.
Si autém devorsum cómedent, si quid cóxerint,
Superi íncenati súnt et cenati ínferi.
Sed uérba hic facio, quási negoti níl siet,
Rapácidarum ubi tántum sit in aédibus.

EUCLIO. CONGRIO II 8

Euc. Volui ánimum tandem cónfirmare hodié meum,
Vt béne me haberem fíliai núptiis.
Venio ád macellum, rógito pisces: índicant
Carós: agninam cáram, caram búbulam,
Vitulínam, cetum, pórcinam, cara ómnia:
Atque eó fuerunt cáriora, aes nón erat.
Abeo íllim iratus, quóniam qui emam níl mihist.
Ita illís impuris ómnibus adií manum.
Deinde égomet mecum cógitare intér uias
Occépi: festo dié si quid prodégeris,
Profésto egere líceat, nisi si párseris.
Postquam hánc rationem uéntri cordique édidi,
Accéssit animus ád meam senténtiam,
Quam mínumo sumptu fíliam ut nuptúm darem.
Nunc túsculum emi et hás coronas flóreas:
Haec ímponentur ín foco nostró Lari,
Vt fórtunatas fáciat gnatae núptias.
Sed quíd ego apertas aédis nostras cónspicor?

---

363 sqq. *Pythodico tribuunt libri, de quo cfr. Goetzii praef. p. VIII et Dziatzko mus. Rhen. 37, 267; cum autem certum sit, eundem servum hic loqui, quem antea, aut in superioribus nomen Pythodici scribendum est, quod fecit Leo, aut in hac scaena Strobili reponendum.* 363. At ego intervisam nostri *dubitanter ego;* Curate: ego intervisam *libri;* intus visam, *quod scripsit Leo, non satis est ad domum Megadori significandam.* 367. devorsum *ego;* deorsum *libri; cfr.* aliovorsum dextrovorsum provorsus. 369. Sed *Gruter;* Si BD. 370. sit *Goeller,* siet *libri.* 372. me haberem *Scaliger;* haberem me B²; haberem B¹DJ. filiai *Scaliger;* filiae *libri.* 377. illim iratus *Bothe;* iratus illinc *libri.* qui emam nil mihist *ego;* nihil est qui emam *libri.* 381. si parseris *Abraham stud. Plaut. p. 214;* peperceris *libri.* 385. has *Weise;* hasce *libri.*

Et strépitust intus. númnam ego compilór miser?
Con. Aulám maiorem sí potes ex uicínia
Pete: haéc est parua, cápere non quit. *Euc.* Eí mihi,
Perii hércle: aurum rápitur, aula quaéritur.
Apóllo, quaeso, súbueni mi atque ádiuua:
Confige sagittis fúres thensaurários:
Si quoi ín re tali iám subuenisti ántidhac.
Sed césso prius quam prórsus perii cúrrere?

ANTHRAX II 9

Dromó, desquama píscis: tu, Machaério,
Congrúm, muraenam exdórsua quantúm potest.
Ego hínc artoptam ex próxumo utendám peto
A Cóngrione. tu ístum gallum, sí sapis,
Glabriórem reddes míhi quam uolsus lúdiúst.
Sed quíd hoc clamoris óritur hinc ex próxumo?
Coqui hércle, credo, fáciunt officiúm suom.
Fugiam íntro, ne quid túrbae hic itidem mí fuat.

CONGRIO III 1

Áttici civés, populares, íncolae, áduenae omnes,
Dáte uiam qua fúgere liceat, fácite totae pláteae pateant.
Tótus doleo atque óppido perii: íta me iste habuit sénex gymnasium.
Néque ego umquam, nisi hódie, ad Bacchas uéni in Bacchanál coquinatum:
Íta me miserum et meós discipulos fústibus male cóntuderunt.
Néque ligna usquam géntium praebéri uidi púlcrius:

---

391. est parva *Pylades;* parva est *libri.* 392. *post hunc versum in libris sequitur hic septenarius*: nimirum occidor, nisi ego intro huc propere propero currere; *delevit Ussing. neque 395 videtur Plautinus esse.* 396. Si quoi *Ussing;* Cui *libri;* tali iam *Camerarius;* talia BD; tali J. subvenisti *Lips. cod.;* subvenit BDJ. 399. exdorsua quantum potest *Nonius p. 95 et 17;* exossata fac sient BDJ. 402. Glabriorem *Nonius p. 530;* Glabrionem (Cl. B) *libri.* 405. mi fuat *Francken;* fiat *libri.* 406. Attici cives *ego;* Optati vires B; optati vives D; Optati cives J; *cfr. Abraham, Stud. Plaut. p. 214. 408—14 ita collocavit Wagner;* 409. 410. 408. 413. 414. 411. 412 *est ordo in libris traditus.* 411. 412 *Leo 'amplificatoris' opus esse putat, sed obstat usus Plautinissimus* itaque *particulae ne hodie quidem a multis recte intellectae, cfr. Lorenz et Brix ad Mil. 108. Propter repetitionem sententiarum autem versus suspectos merito non haberi docui prima parte studiorum Plautinorum.* 411. usquam *ego;* ego usquam (eo . . . quam B[1]) *libri.*

Ítaque omnis exégit foras me atque hós onustos fústibus.
Áttat, perii hercle égo miser: [iam] aperítur Bachanál: adest:
Séquitur. scio quam rém geram: hoc ípsus me magíster docuit.

EUCLIO. CONGRIO III 2

Euc. Redi, quó fugis nunc? téne, tene. *Con.* Quid, stólide, clamas?
Euc. Quia ad trís uiros iam ego déferam nomén tuom. *Con.* Quam ob rem?
Euc. Quia cúltrum habes. *Con.* Cocúm decet. *Euc.* Quid cómminatu's
Mihi? *Con.* Istud male factum árbitror, quia nón latus fodi.
Euc. Homo núllust te scelestior qui uíuat hodie
Neque quoi égo de industria ámplius male plús lubens faxim.
Con. Pol etsí taceas, palam íd quidemst: res ípsa testist.
Ita fústibus sum móllior magis quam úllus cinaedus.
Sed quíd tibi nos táctiost, mendíce homo? *Euc.* Quae res?
Etiám rogitas? an quía minus quam aequóm me erat feci?
Con. Sine: at hércle cum magnó malo tuo, si hóc caput sentit.
Euc. Pol ego haúd scio quid póst fuat: tuom núnc caput sentit.
Sed in aédibus quid tíbi meis nam erát negoti
Me apsénte, nisi ego iússeram? uolo scíre. *Con.* Tace ergo.
Quia vénimus coctum ad núptias. *Euc.* Quid tú, malum, curas
Vtrúm crudumne an cóctum edim, nisi tú mi's tutor?
Con. Volo scíre sinas an nón sinas nos cóquere hic cenam?
Euc. Volo scíre ego itidem meaé domi mean sálua futura?
Con. Vtinám mea mihi modo aúferam quae ad [té] tuli salua.

---

413. miser iam aperitur *ego;* miser aperitur *Camerarius;* misera perit BD; miser aperit J. 414. me magister *ego;* magister me *libri; hiatum post* geram *sine offensione esse puto.* 418. Istud BJ; Istuc D. 420. *de liberiore numero horum versuum cfr. ad 156, sed tamen cum Goetzio dubito de mensura* lubĕns faxim, *fortasse praestat ex Hermanni coniectura scriberc* lubens male faxim. 422. magis *Nonius p. 5*; miser magis BD; magis miser J. 423. nos tactiost, mendice homo *Hermann de metr. p. 171;* nos m. homo tactio est *libri.* Quae res *Euclioni dat Seyffert Stud. Plaut. p. 2, Congrioni libri.* 424. aequom me erat *Seyffert Ind. phil. 4, 390;* aequo mereat B[1]D aequom (aequum J.) erat B[2]J. 425. magno malo tuo *Hare;* malo tuo magno *libri.* 426. fuat *Hare;* fiat BD; *totum versum om.* J. 429. cfr. ad 156. 430. Utrum crudumne an coctum *Brix ad Capt. 265;* Utrum crudum an coctum ego BDJ; Utrum crudum an ego coctum *Pylades leniore quidem mutatione, sed est collocatio verborum poetica ideoque a Plauto aliena.* 432. itidem *Goetz;* item *libri.* mean *Camerarius;* mea *libri.* 433. ad te tuli *Studem. de cant. Plaut. p. 32;* adtuli *libri.*

Me haud paénitet, tua ne éxpetam: *Euc.* Scio: né doce, noui.
Con. Quid est quá prohibes nunc grátia nos cóquere hic cenam?
Quid fécimus? quid díximus tibi sécus quam uelles?
Euc. Etiám rogitas, sceléste homo, quine ánglos omnis
Mearum aédium et concláuium mihi pérscrutatis?
Ibi úbi tibi erat negótium, ad focúm si adesses,
Non físsile haberes [núnc] caput: merito íd tibi factumst.
Nunc ádeo ut meam senténtiam iam nóscere possis:
Si ad iánuam huc accésseris, nisi iússo, propius,
Ego té faciam misérrumus mortális uti sis.
Scis iám meam senténtiam. *Con.* Quo abís? redi rursum.
Ita mé bene amet Lauérna [uti] te iám, nisi reddi
Mihi uása iubes [mea], dífferam piplo híc ante aedis.
Quíd ego nunc agám? ne ego edepol uéni huc auspició malo:
Númmo sum condúctus: plus iam médico mercedíst opus.
Euc. Hóc quidem hercle quóquo [ego] ibo mécum erit, mecúm feram,
Néque istic in tantís periclis úmquam committam út siet.
Íte sane núnc intro omnes ét coqui et tibícinae.
[Eí iam,] etiam intro dúce, si uis, uél gregem uenálium.
Cóquite, facite, féstinate núnciam quantúm lubet.
Con. Témperi, postquam ímpleuisti fústi fissorúm caput.
Euc. Íntro abite: opera húc conductast uóstra, non orátio.
Con. Heús, senex, pro uápulando hercle égo abs te mercedém petam.
Cóctum ego, non uápulatum, dúdum conductús fui.
Euc. Lége agito mecúm, molestus né sis: ei, cenám coque

---

434. expetam JB^2; exspectam B^{1}D. 235. prohibes *Lipsiensis;* prohibeas BDJ. 436. 439. 440 *versus suspecti.* 436. secus quam J; sequi usquam BD. 437. quine *Hermann de metr. 171;* qui *libri.* anglos *Bothe;* angulos DJ; angulosus B. 438. perscrutatis *Leo;* pervium (perviam J.) facitis *libri.* 439. Ibi *Guyet;* Id *libri.* 440. haberes nunc *Francken;* haberes *libri.* 441. nunc adeo ut *ego;* adeo ut tu *libri.* 442. iusso *Guyet;* iussero *libri.* 443. *cfr. ad* 156. 445. uti *add. Goetz; om. libri.* 446. mea *add. Francken;* om. *libri.* differam piplo hic *dubitanter ego;* populo hic differam *libri;* pipulo *Lips.; Nonius p. 152; Varro de ling. lat. VII, 103.* 448. mercedist opus *Bothe;* mercede opus est *libri.* 449. ego *add. Wagner; om. libri.* 450. istic *Brix nov. annal. 91, 57;* istud *libri.* 451. nunc *Linge de hiat. p. 63;* nunc iam *libri.* 452. Ei iam, etiam *ego, ex parte Weidneri secutus advers. Plaut. p. 6;* Etiam *libri.* 454. *add.* B^2; *om.* B^{1}DJ. 455. abite *Goeller;* abi *libri.* 456. Heus *Bentley;* Eu BD; Heu J. 458. ei *Brix nov. annal. 91, 59;* i et B; et DJ.

Aút abi in malúm cruciatum ab aédibus. *Con.* Abi tú modo.
Euc. Íllic hinc abiit. di ínmortales, fácinus audax íncipit
Quí cum opulento paúper homine rém habet aut negótium,
Véluti me Megadórus temptat ómnibus miserúm modis:
Quí simulauit meí [se] honoris míttere huc causá coquos:
I's ea causa mísit hoc qui súrruperent miseró mihi.
Cóndigne etiam méus med intus gállus gallinácius
Qui érat anu pecúliaris pérdidit paenissume.
Vbi erat haec defóssa occepit íbi scalpurrire úngulis
Círcumcirca. quíd opust uerbis? íta mi pectus péracuit:
Cápio fustem, obtrúnco gallum, fúrem manufestárium.
Crédo edepol ego illí mercedem gállo pollicitós coquos,
Si íd palam fecísset. [sed istis] éxemi ex manu mánubrium.
Séd Megadorus méus adfinis éccum incedit á foro.
Iam húnc non ausim praéterire quín consistam et cónloquar.

MEGADORVS. EVCLIO III 5

Meg. Narráui amicis múltis consiliúm meum
De cóndicione hac; Eúclionis fíliam
Laudánt: sapienter fáctum et consilió bono.
Nam meó quidem animo sí idem faciant céteri,
Opuléntiores paúperiorum fílias
Vt índotatas dúcant uxorés domum:
Et múlto fiat cíuitas concórdior,
Et invídia nos minóre utamur quam útimur,
Et illaé malam rem métuant quam metuónt magis,
Et nós minore súmptu simus quám sumus.
In máxumam illuc pópuli partemst óptumum,
In paúciores áuidos altercátio est,
Quorum ánimis auidis átque insatietátibus
Neque léx neque sutor † cápere est qui possít modum.
Namque hóc qui dicat: quó illac nubent díuites
Dotátae, si istud iús pauperibus pónitur?

461. rem habet *Goetz in adnotatione;* cepit rem habere *libri.* 462. Veluti me Megadorus temptat *Gruter;* Velut megadorus temptat me *libri;* 463. mei se *Reiz;* mei *libri.* 465. med *Pareus;* me *libri.* 466. anu *Bentley;* anui *libri; cfr. Truc. 721; Rud. 294; 517; Pseud. 306.* 471. sed istis exemi *ego;* exemi *libri. Post 471 sequitur in libris versus non Plautinus:* quid opus est verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo; *del. Guyet.* 482. invidia nos minore *Pylades;* invidia minore nos *libri.* 485—88 *immerito Franckenio et Goetzio suspecti, cfr. stud. Plaut. mea p. 248.* 485. illuc B; illec DJ. optumum *Camerarius;* optimam BD optuma J. 488. *locus perobscurus.* 490. Dotatae si istud ius *Camerarius;* Dotata es istud uis *libri.*

Quo lúbeant nubant, dúm dos ne fiát comes.
Hoc sí ita fiat, móres meliorés sibi
Parént pro dote quós ferant quam núnc ferunt.
Ego fáxim muli prétio qui superánt equos
Sint uíliores Gállicis canthériis.
Euc. Ita mé di amabunt út ego hunc ausculto lubens.
Nimis lépide fecit uérba ad parsimóniam.
Meg. Nulla ígitur dicat: équidem dotem ad te áttuli
Maiórem multo quám tibi erat pecúnia.
Enim míhi quidem aequomst púrpuram atque aurúm dari,
Ancíllas, mulos, múliones, pédisequos,
Salútigerulos púeros, uehicla quí uehar.
Euc. Vt mátronarum hic fácta pernouít probe:
Moríbus praefectum múlierum hunc factúm uelim.
Meg. Nunc quóquo uenias plús plaustrorum in aédibus
Videás quam ruri quándo ad uillam uéneris.
Sed hoc étiam pulcrumst praéquam sumptus úbi petunt.
Stat fúllo, phyrgio, aúrifex, linárius:
Caupónes †, patagiárii, indusiárii,
Flammárii, uiolárii, carinárii,
Stant mánulearií, stant murobathárii †
Propólae linteónes, calceolárii,
Sedentárii sutóres, diabathrárii,
Soleárii astant, ástant molocinárii,
Petúnt fullones, sárcinatorés petunt,
Strophiárii astant, ástant semisonárii †,
Iam hosce ápsolutos cénseas, cedúnt: petunt
Trecénti: circum stánt phylacistae † in átriis,
Textóres, limbolárii, arculárii.
Ducúntur, datur aes: iam ápsolutos cénseas,
Quom incédunt infectóres corcotárii:

---

491. lubeant B^1; iubeant B^{2}DJ. 495. Sint *Reiz*; Sient *libri*. 502. vehicla *Hare;* vehicula *libri*. 505. quoquo B^2; quoque B^{1}DJ. *In verbis Megadori, quae sequuntur inde a v. 508, Plautina cum alienis certe mixta sunt, sed ita, ut vera ab adulterinis non facile discerni possint.* 507. sumptus ubi *Guyet;* ubi sumptus *libri*. 508. linarius B^1; lanarius B^{2}DJ. 509. Caupones *quid hoc loco sibi velint, intellegi non potest, quare cum Ussingio crucem apposui.* 511. stant m. stant *Leo;* aut m. aut *libri*. 513. sutores B^2; sutares B^{1}D; sutates J. diabathrarii *Turnebus;* diobatharii BD; diabatharii J. 516. semisonarii *corruptum esse metro evincitur*. 517. cedunt *i. e.* discedunt; *cfr. Men. 1018*. 518. Trecenti circumstant *Acidalius;* Treceni (*om. J.*) cum stant *libri*. 519. limbolarii *Nonius p. 541;* lintuarii *libri* (limb. J.) 520. iam absolutos *Bothe;* iam hosce absolutos *libri*. 521. corcotarii *Wagner de Aulul. p. 14*; crocotarii (arum J.) *libri*.

Aut áliqua mala crux sémper est, quae aliquíd petat.
Euc. Compéllarem ego illum, ní metuam ne désinat
Memoráre mores múlierum: nunc síc sinam.
Meg. Vbi núgigerulis rés solutast ómnibus
Ibi ád postremum incédit miles, aés petit.
Itúr, putatur rátio cum argentário.
Milés inpransus ástat, aes censét dari.
Vbi dísputatast rátio cum argentário,
Etiam ípsus ultro débet argentário.
Spes prórogatur míliti in aliúm diem.
Haec súnt atque aliae múltae in magnis dótibus
Incómmoditates súmptusque intolerábiles.
Nam quae índotatast éa in potestatést uiri:
Dotátae mactant ét malo et damnó uiros.
Sed éccum adfinem ante aédis. quid agis, Eúclio?

EVCLIO. MEGADORVS III 6

Euc. Nimiúm lubenter édi sermoném tuom.
Meg. Ain? aúdiuisti? *Euc.* Vsque a principio ómnia.
Meg. Tamen meó quidem animo aliquánto facias réctius,
Si nítidior sis fíliai núptiis.
Euc. Pro ré nitorem et glóriam pro cópia
Qui habént meminerint sése unde oriundí sient.
Neque pól, Megadore, míhi nec quoiquam paúperi
Opínione mélius res structást domi.
Meg. Immo ést et [semper íta] di faciant út siet,
Plus plúsque [tibi] istuc sóspitent quod núnc habes.
Euc. Illúd mihi uerbum nón placet quod núnc habes.
Tam hic scít me habere quam égomet: anus fecít palam.
Meg. Quid tú te solus é senatu séuocas?
Euc. Pol ego út te accusem mérito meditabár. *Meg.* Quid est?
Euc. Quid sít me rogitas? quí mihi omnis ángulos
Furum ímpleuisti in aédibus miseró mihi:
Qui intrómisisti in aédes quingentós coquos

526. incedit *ego;* cedit *libri.* *cfr. Peerlkamp ad Hor. sat. II, 1, 65.* 530. ipsus *Lambinus;* plus ipsus *libri.* 537. edi *Nonius p. 454;* edi id audivi B²; di audivi B¹; audivi J. 538. Ain *Gruter;* A . .n B; An DJ. 539. ánimo aliquanto *propter proceleusmaticum suspectum, sed tamen fortasse ferendum; cfr. Abraham stud. Plaut. p. 228.* 540. filiai *Scaliger;* filiae *libri.* 543. mihi neque *libri.* 545. est et semper ita di *ego;* est et di *libri.* 546. tibi istuc *Mueller pros. Plaut. p. 383;* istuc *libri.* 548. hic *Lips.;* hoc *ceteri libri.* 550. ut te *Acidalius;* te ut *libri.* 553. intromisisti *Meursius;* mihi introm. *libri.* in aedis *Pylades;* in aedibus *libri.*

Cum sénis, manibus génere geryonáceo:
Quos si Argus seruet qui óculeus totús fuit,
Quem quóndam Ioni Iúno custodem áddidit,
Is númquam seruet. praéterea tibícinam
Quae mi ínterbibere sóla, si uinó scatát,
Coríntiensem fóntem Pirenám potest.
Tum opsónium autem [ei ópust, quod] legioní sat est.
Meg. Etiam ágnum misi. *Euc.* Quó quidem agno sát scio
Magis cúrionem núsquam esse ullam béluam.
Meg. Volo ego éx te scire quí sit agnus cúrio.
Euc. Quia óssa ac pellis tótust: ita curá macet.
Quin éxta inspicere in sóle ei uiuó licet:
Ita ís pellucet quási lanterna Púnica.
Meg. Caedúndum conduxi égo illum. *Euc.* Tum tu idem óptumumst
Loces écferendum: nám, iam, credo, mórtuost,
Meg. Potáre ego hodie [hic], Eúclio, tecúm uolo.
Euc. Non pótem ego quidem hércle. *Meg.* At ego iússero
Cadum únum uini uéteris a me adférrier.
Euc. Nolo hércle: nam mihi bíbere decretúmst aquam.
Meg. Ego te hódie reddam mádidum, si uiuó, probe,
Tibi quoí decretumst bíbere aquam. *Euc.* Scio quám rem agat.
Vt mé deponat uíno, eam adfectát uiam:
Post hóc quod habeo ut cómmutet colóniam.
Ego íd cauebo: nam álicubi apstrudám foris.
Ego fáxo et operam et uínum perdiderít simul.
Meg. Ego nísi quid me uis, eó lauatum, ut sácruficem.
Euc. Edepól ne tu, aula, múltos inimicós habes
Atque ístuc aurum quód tibi concréditumst.
Nunc hóc mihi factust óptumum, ut ted aúferam,

557. scatat *Gulielmius;* scatet *libri.* 559. Pirenam *Valla;* et pirineum B; et perintum D; et pirentum J. 560. ei opust quod *ego ex parte Goetzii adnotationem secutus;* pol vel *libri.* legioni B²; leoni B¹DJ. 562. curionem *Gulielmius,* curiosam *libri.* 564. macet *Nonius p. 509;* maegei B; magei D; maget J. 565. sole ei *Gruter* solee BD; sole et J. 567. conduxi ego illum *Nonius p. 272 et 274;* illum ego conduxi *libri; cfr. Kaempf de pron. pers. usu p. 24.* optumum *Saracenus;* optumus *libri.* 569. hodie hic *Mueller pros. Plaut. p. 696;* hodie *libri.* 570. potem *est coniunctivus, qui dicitur potentialis, cfr. Bacch. 148; Pseud. 236; 319; 888. post* hercle *hiatus legitimus.* 582. factust *Aldina;* factum est *libri.* ted *Camerarius;* te *libri.*

Aula, ín Fidei fánum: ibi apstrudám probe,
Fidés, nouisti me ét ego te: caue sís tibi,
Ne tu ímmutassis nómen, si hoc concréduo.
Ibo ád te fretus tuá, Fides, fidúcia.

STROBILVS IV 1

Hóc est serui fácinus frugi fácere quod ego pérsequor:
Né morae moléstiaeque impérium erile habeát sibi.
Nám qui ero ex senténtia seruíre seruos póstulat
Ín erum matura, ín se sera cóndecet capéssere.
Sín dormitet, íta dormitet, séruom se esse ut cógitet.
Nám qui amanti ero séruitutem séruit, quasi ego séruio,
Si érum uidet superáre amorem, hoc sérui esse officiúm reor,
Rétinere ad salútem, non enim quo íncumbat eo impéllere.
Quási pueri qui náre discunt scírpea induitúr ratis,
Quí laborent mínus, facilius út nent et moueánt manus:
Eódem modo seruóm ratem esse amánti ero aequom cénseo,
Ýt eum toleret, né pessum abeat, támquam [reticulum ín mari].
Éri ille imperium edíscat, ut quod fróns uelit oculí sciant.
Quód iubeat citís quadrigis cítius properet pérsequi.
Qui éa curabit ápstinebit cénsione búbula
Néc sua opera rédiget umquam ín splendorem cómpedes.
Nam érus meus amat fíliam huius Eúclionis paúperis:
Éam ero nunc renúntiatumst núptum huic Megadoró dari.
Ís speculatum huc mísit me, ut quae fíerent fieret párticeps.
Núnc sine omni suspícione in ára hic adsidám sacra.
Hínc ego et huc et ílluc potero quíd agant arbitrárier.

EVCLIO. STROBILVS IV 2

Euc. Tú modo caue quoiquam índicassis aúrum meum esse istíc, Fides.
Nón metuo ne quísquam inueniat: íta probe in latebrís situmst.

---

583. Aula *Scutarius;* Aulam *libri.* 585. inmutassis *Acidalius;* in me mutassis *libri.* 591. se esse *Mueller pros. Plaut. p. 181;* sese *libri.* 592—98 *aliunde insertos esse recte putat Brix nov. annal. 91, 56.* 594. *cfr. symb. Plaut. p. 264.* 598. reticulum in mari *exempli causa ego; om. libri.* 599. Eri ille *Wagner;* Herile *libri.* 599. frons B^2; fronos B^1D; non os J. 603. Nam *Brix nov. ann. 91, 57;* Nunc *libri.* 606. *ab hoc versu rursus incipit E.* 608. quoiquam *Pius;* quicquam *libri.*

Édepol ne illic púlcram praedam agat, sí quis illam inuénerit
Aúlam onustam aurí: uerum id te quaéso ut prohibessís, Fides.
Núnc lauabo, ut rém diuinam fáciam, ne adfiném morer,
Quín ubi arcessát meam extemplo fíliam ducát domum.
Víde, Fides, etiam átque etiam nunc, sáluam ut aulam abs te aúferam:
Tuaé fide concrédidi aurum: in tuó luco et fanóst situm.
Str. Di ímmortales quód ego hunc hominem fácinus audiuí loqui:
Se aúlam onustam auri ápstrusisse hic íntus in fanó Fide.
Cáue tu illi fidélis, quaeso, pótius fueris quám mihi.
Átque hic pater est út ego opinor húius erus quam amat, [vírginis].
Íbo hinc intro: pérscrutabor fánum, si inueniam úspiam
Aúrum, dum hic est óccupatus. séd si repperero, ó Fides,
Múlsi congiálem plenam fáciam tibi fidéliam.
Íd adeo tibi fáciam: uerum ego míhi bibam id ubi fécero.
Euc. Nón temerest quod córuos cantat míhi nunc ab laeuá manu.
Sémul radebat pédibus terram et uóce crocibát sua:
Cóntinuo meúm cor coepit ártem facere lúdicram
Átque in pectus émicare: séd ego cesso cúrrere.

EVCLIO. STROBILVS IV 4

Euc. Fóras, foras, lumbríce qui sub térra erepsistí modo,
Quí modo nusquam cómparebas: núnc quom comparés peris.
Égo pol te, praestrígiator, míseris iam accipiám modis.
Str. Quaé te mala crux ágitat? quid tibi mécumst commercí, senex?
Quíd me adflictas? quíd me raptas? quá me causa uérberas?
Euc. Vérberabilíssume, etiam rógitas? non fur, séd trifur.

---

613. meam *Hare;* me meam *libri.* 615. fide *Scaliger;* fidei *libri.* fanost situm *Pylades;* fano modo est situm *libri.* 616. audivi *Bothe;* audio *libri.* 617. Fide *Scaliger;* fidei *libri.* 619. virginis *add. Mueller add. ad pros. Plaut. p. 121; om. libri.* 623. id ubi *Reiz;* ubi id *libri.* 625. Semul *Ritschl proleg. 147;* Semel *libri.* crocibat *Ritschl;* grocchibat *libri.* 626. meum DEJ; mecum B[1]. 628. Foras foras *Camerarius;* Foras *libri.* 629. comparebas J; comparabas BDE. 630. pol *Bothe;* edepol *libri.*

Str. Quíd tibi surrupuí? *Euc.* Redde huc sis. *Str.* Quíd tibi uis reddám? *Euc.* Rogas?
Str. Níl equidem tibi ápstuli. *Euc.* At illud quód tibi apstulerás cedo.
Écquid agis? *Str.* Quid agám? *Euc.* Auferre nón potes. *Str.* Quid uís tibi?
Euc. Póne. *Str.* Equidem id pol té datare crédo consuetúm, senex.
Euc. Póne hoc sis: aufér cauillam: nón ego nunc nugás ago.
Str. Quíd ego ponam? quín tu eloquere quídquid est suo nómine.
Nón hercle equidem quícquam sumpsi néc tetigi. *Euc.* Ostende húc manus.
Str. Ém tibi, ostendi: éccas. *Euc.* Video. age óstende etiam tértiam.
Str. Láruae hunc atque íntemperiae insániaeque agitánt senem.
Fácin iniuriám mi? *Euc.* Fateor, quía non pendes, máxumam?
Átque id quoque iam fiet, nisi fatére. *Str.* Quid fateár tibi?
Euc. Quíd apstulisti hinc? *Str.* Dí me perdant, si égo tui quicquam ápstuli
Níue adeo apstulísse uellem. *Euc.* Ágedum, excutedum pállium.
Str. Tuo árbitratu. *Euc.* Ne ínter tunicas hábeas. *Str.* Tempta quá lubet.
Euc. Váh, scelestus, quám benigne, ut ne ápstulisse intéllegam.
Nóui sycophántias [tuas]. áge rusum ostende húc manum
Déxteram. *Str.* Em. *Euc.* Nunc laéuam ostende. *Str.* Quín equidem ambas prófero.
Euc. Iám scrutari mítto: redde huc. *Str.* Quíd reddam? *Euc.* A nugás agis:
Cérto habes. *Str.* Habeo égo? quid habeo? *Euc.* Nón dico: audire éxpetis.

---

634. Rogas *Camerarius*; rogitas *libri*. 636. Ecquid E³J; Haec quid BDE. 637. Equidem id *ego*; Di quidem *libri*; *cfr. Luchs comment. pros. I, 21.* 639. ego *Lips.*; ergo *ceteri libri*. 641. ostendi B²DEJ; ostende B¹. 643. Facin *Hare*; Facisne *libri*; *cfr. Schrader de partic. ne anne nonne p. 27.* mi *ego*; mihi annon *libri*; facisne (facin) *idem valet quod* nonne facis, *cfr. Brix ad Men. 284.* 649. tuas *add. Ussing*; *om. libri*. rursum BJ. 659. Dexteram *Lips.*; Dextram *ceteri libri*. 652. certo *ego*; certe *libri*; *cfr. symb. mea Plaut. p. 28.*

Íd meum quicquíd habes redde. *Str.* Insánis: perscrutátus es
Tuo árbitratu néque tui me quícquam inuenistí penes.
Euc. Máne, mane: quis illést? quis intus álter erat tecúm simul?
Périi hercle: ille intús nunc turbat. húnc si amitto, hinc ábierit.
Póstremo iam hunc pérscrutaui: hic níl habet. abi quó lubet.
Str. Iúppiter te díque perdant. *Euc.* Haúd male agit [hic] grátias.
Íbo intro atque illi socienno tuó iam interstringám gulam.
Fúgin hinc ab oculís? abin an non? *Str.* Ábeo. *Euc.* Caue sis te videam.†

STROBILVS IV 5

Emórtuom ego me máuelim letó malo
Quam nón ego illi dém hodie insidiás seni.
Nam illic iam non audébit aurum apstrúdere:
Credo écferet iam sécum et mutabít locum.
Attát foris crepuit: sénex eccum aurum ecfért foras.
Tantisper huc ego ad iánuam concéssero.

EVCLIO. STROBILVS IV 6

Euc. Fidé censebam máxumam multó fidem
Esse: éa subleuit ós mihi paenissume.
Ni súbuenisset córuos, periissém miser.
Nimis hércle ego illum córuom ad me ueniát, uelim,
Qui indicium fecit. út ego illic aliquid boni
Dicám: nam quod edit tám duim quam pérduim.
Nunc hóc ubi apstrudam cógito solúm locum.
Siluáni lucus éxtra murumst áuius.
Crebró salicto oppletus: ibi sumám locum.
Certúmst. Siluano pótius credam quám Fide.

655. quis illest? quis intus *ego* (illest *Reiz*): quis illic est quis hic intus *libri*. 656. intus nunc *Guyet*: nunc intus *libri*; hinc *Bothe*; hic *libri*. 658. agit hic *Koch*: agit *libri*. 659. Ibo intro *Nonius* p. 172: Ibo hinc intro *libri*. 660. an non *Pylades*: hinc annon *libri*. 663. illic *ego*: hic *libri*. 666. huc *Lambinus*: hic *libri*. 667. Fidei *libri*. 668. subleuit *Nonius* p. 45: subluit *libri*. 671. illic *Bothe*; illi *libri*. 672. tam duim quam perduim *Camerarius*: tamdium quam perdium *libri*. 674. lucus J: lacus BDE. auius *Nonius* p. 396: aulus *libri*. 676. Fide *Scaliger*: fidei *libri*.

Str. Euge, eúge, di me sáluom et seruatúm uolunt.
Iam ego illúc praecurram atque ínscendam aliquam in árborem.
Indeque óbseruabo [ego] aúrum ubi abstrudát senex.
Quamquam híc manere mé erus sese iússerat;
Certúmst malam rem pótius quaeram cúm lucro.

LYCONIDES. EVNOMIA. PHAEDRA. IV 7

Lyc. Dixí tibi mater: iúxta rem mecúm tenes
Super Eúclionis fília: nunc te ópsecro
Resecróque, mater, quód dudum opsecráueram:
Fac méntionem cum áuonculo, matér mea.
Eun. Scis túte facta uélle me quae tú uelis:
Et istúc confido a frátre me impetrássere,
Et caúsa iustast, síquidem itast ut praédicas,
Te eam cómpressisse uínolentum uírginem.
Lyc. Egone út te aduorsum méntiar, matér mea?
Phae. Perií, mea nutrix: óbsecro te, uterúm dolet.
Iunó Lucina, tuám fidem. *Lyc*. Em, matér mea,
Tibi rém potiorem uídeo: clamat, párturit.
Eun. Ei hac íntro mecum, gnáte mi, ad fratrém meum,
Vt istúc quod me oras ímpetratum ab eo aúferam.
Lyc. I, iám sequor te, máter. sed seruóm meum
Strobílum miror úbi sit, quem ego me iússeram
Hic ópperiri. núnc ego mecum cógito,
Si míhi dat operam, me ílli irasci iniúriumst.
[Sed] íbo intro ubi de cápite meo sunt cómitia.

STROBILVS IV 8

Picí diuitiis qui aúreos montés colunt
Ego sólus supero. nám istos reges céteros
Memoráre nolo, homónum mendicábula.
Ego súm ille rex Philíppus. o lepidúm diem.
Nam ut dúdum hinc abii múlto illo aduení prior
Multóque prius me cónlocaui in árborem:

---

677. Euge euge *Camerarius;* Fuge fuge *libri.* 679. ego *add. Bothe; om. libri.* 682. *incipit actus quintus.* 684. 685. *hoc ordine Pareus; inverso libri.* 687. a fratre *Pylades;* fratre *libri.* 695. impetratum ab eo auferam *Gruter;* effitiam tibi impetratum habeo auferam *libri.* 696. i iam B[2] iam B[1]DEJ. 700. Sed ibo *Wagner;* Ibo *libri.* 101. Pici *Nonius p. 152;* Picis B; Vites J. 703. homonum *ego;* hominum *libri.* 705. illo *Camerarius;* illic B; illuc DE.

Indéque spectabam ubi aúrum apstrudebát senex.
Vbi ille ábiit, ego me deórsum duco de árbore:
Exfódio aulam auri plénam: inde exeo ílico.
Videó recipere sé senem: me nón uidet.
Nam ego cíto me declináui paulum extrá uiam.
Attát, eccum ipsum: íbo, ut hoc condám domum.

EVCLIO IV 9

Perii, ínterii, occidi. quó curram? quo nón curram? tene, téne. quem? quis?
Nesció, nil uideo, caécus eo atque equidém quo eam aut ubi sim aút qui sim
Nequeó cum animo certum ínuestigare: óbsecro uos ego, mi aúxilio,
Oro óbtestor, sitís et hominem demónstretis quis eam ápstulerit.
Quid aís tu? tibi credére certum est: nam essé bonum ex uoltu cógnosco.
Quid est quód ridetis? nóui omnes: scio fúres esse hic cómplures
Qui uéstitu et creta óccultant sese átque sedent quasi sínt frugi.
Ain, némo habet horum? occídisti. dic ígitur, quis habet? néscis?
Heu mé miserum, miseré perii: male pérditus pessume ornátus eo.
Tantúm gemiti et mali [et] maéstitiae hic diés mi optulit, fámem et paúperiem:
Perditíssumus ego sum omnium ín terra. quid mi ópust uita qui tántum auri

---

707. spectabam *Lambinus;* exspectabam *libri.* ubi aurum *Pylades,* aurum ubi *libri.* 709. exeo ilico *Brix;* ex eo loco *libri.* 710. me *ego;* ille me *libri; cfr. Mueller pros. Plaut. p. 332.* 711. cito me *ego dubitanter;* non *libri*; paulum *ego;* paulum me *libri.* 717—719 *hoc ordine Hermann;* 719. 717. 718 *libri.* 717. quid *ed. princeps;* quis *libri.* ex (e) *Camerarius*; et *libri.* 717. quod B; quid DEJ. 720. Ain *ego;* Em *libri.* 721. misere B^2; miserum B^1DEJ. 722. mali et *Hare;* mali *libri; hiatum in diaeresi ferendum puto quamquam Prisc. I, p. 158 H. et Nonius p. 487 habent* mihi hic dies, *quod probaverunt Goetz et Leo, sed cfr. Kaempf de pronominum person. usu et colloc. p. 28.* 723. quid *Mueller pros. Plaut. p. 195;* nam quid *libri.*

Perdídi quod concustódiui sedlo; égomet me defraúdaui,
Animúmque meum geniúmque meum: nunc érgo alii laetíficantur
Meo málo et damno: pati néqueo.

LYCONIDES. EVCLIO

Lyc. Quínam homo hic ante aédis nostras éiulans conquéritur maerens?
Átque hic quidem Euclióst, ut opinor: óppido ego interií: palamst res.
Scít peperisse iam út ego opinor fíliam suam: núnc mi incertumst,
Ábeam an maneam, an ádeam, an fugiam: quíd agam non edepól scio.
Euc. Quís homo hic loquitur? *Lyc.* Égo sum [misér.] *Euc.* Immo égo sum miser et pérditus, IV 10
Quoí tanta mala maéstitudoque óptigit. *Lyc.* Animó bono's.
Euc. Quo ópsecro pacto ésse possum? *Lyc.* Quía istuc facinus quód tuom
Sóllicitat animum íd ego feci et fáteor. *Euc.* Quid ego ex te aúdio?
Lyc. Íd quod uerumst. *Euc.* Quíd ego [erga te] cómmerui adulescéns, mali,
Quám ob rem ita faceres méque meosque pérditum ires líberos?
Lyc. Déus impulsor míhi fuit, is me ad íllam inlexit. *Euc.* Quó modo?
Lyc. Fáteor peccauísse med et cúlpam commeritúm scio:
Íd adeo te orátum aduenio, ut ánimo aequo ignoscás mihi.
Euc. Cúr id ausu's fácere, ut id quod nón tuom esset tángeres?
Lyc. Quíd uis fieri? fáctumst illud: fíeri infectum nón potest.
Deós credo uoluísse: nam ni uéllent, non fierét, scio.
Euc. Át ego deos credó uoluisse, ut ápud me te in neruo énicem.

---

724. sedlo *Seyffert Philol. 27, 438;* sedulo *libri.* 725. ergo *Mueller pros. Plaut. p. 195;* eo *libri.* 730. Abeam *Hare;* Quid agam abeam (habeam) *libri;* non edepol scio *Spengel 'Reformvorschläge' p. 342;* edepol nescio *libri.* 731. sum miser *Aldus;* sum *libri;* et perditus *Seyffert stud. Plaut. p. 8, qui* et miser et perditus *proposuit;* Et misere perditus *libri.* 735. ego erga te commerui *Redslob nov. ann. 137, 763;* ego .... Emerui *libri.* 738. med et culpam *ego;* et me culpam *libri.* 743. me te *Pistoris;* te me *libri.*

Lyc. Ne ístuc dixis. *Euc.* Quíd tibi ergo meám me inuito táctiost?
Lyc. Quía uini uitio átque amoris féci. *Euc.* Homo audacíssume,
Cum ístacin te orátione huc ád me adire ausum, ímpudens!
Nám si istuc ius ést, ut tu istuc éxcusare póssies,
Lúci claro déripiamus aúrum matronís palam:
Póstid si prehénsi simus, éxcusemus ébrios
Nós fecisse amóris causa: nímis uilest uinum átque amor,
Si ébrio atque amánti impune fácere quod lubeát licet.
Lyc. Quín tibi ultro súpplicatum uénio ob stultitiám meam.
Euc. Nón mi homines placént qui quando mále fecerunt púrigant.
Tú illam scibas nón tuam esse: nón attactam opórtuit.
Lyc. Ergo quia sum tángere ausus, haúd causificor quín eam
Égo habeam potíssumum. *Euc.* Tun hábeas mi inuitó meam?
Lyc. Haúd te inuito póstulo, sed méam esse oportere árbitror.
Quín tute inueniés, inquam, illam méam esse oportere, Eúclio.
Euc. Iám quidem hercle te ád praetorem rápiam et tibi scribám dicam
Nísi refers. *Lyc.* Quid tíbi ego referam? *Euc.* Quód surrupuistí meum.
Lyc. Súrrupui ego tuom? únde? aut quid id est? *Euc.* Íta te amabit Iúppiter
V́t tu nescis. *Lyc.* Nísi quidem tu míhi quid quaeras díxeris.
Euc. Aúlam auri, inquam, té reposco quám tu confessú's mihi
Te ápstulisse. *Lyc.* Néque edepol ego díxi neque fecí. *Euc.* Negas?
Lyc. Pérnego immo: nám neque ego aurum néque istaec aula quaé siet
Scío nec noui. *Euc.* Íllam éx Siluani lúco quam apstulerás cedo.
Í, refer: dimídiam tecum pótius partem díuidam.
Tamétsi fur mihí's, molestus nón ero. i ueró, refer.

748. Luci claro *Nonius p. 210;* Luce clara *libri.* 753. purigant *Ritschl;* purgitant *libri.* 758. tute *Francken;* tu eam *libri;* illam meam *Bothe;* meam illam *libri.* 759. 760 *hoc ordine Acidalius, inverso libri.* 761. subripui *Lips.* (J); surripio (subr. E) BDE.

Lyc. Sánus tu non és qui furem mé uoces: ego te, Eúclio,
Dé alia re résciuisse cénsui quod ad me áttinet.
Námst res quam ego tecum ótiose, si ótiumst, cupió loqui.
Euc. Díc bona fidé: tu id aurum nón surrupuistí: *Lyc.* Bona.
Euc. Néque [eum] scis qui apstúlerit? *Lyc.* Istuc quóque bona. *Euc.* Atque id si scies
Qui ápstulerit mihi índicabis? *Lyc.* Fáciam. *Euc.* Neque partém tibi
Áb eo quisquest índipisces néque furem excipiés? *Lyc.* Ita.
Euc. Quíd si fallis? *Lyc.* Túm me faciat quód uolt magnus Iúppiter.
Euc. Sát habeo: age nunc lóquere quid uis. *Lyc.* Sí me nouistí minus
Génere quo sim gnátus: hic mihíst Megadorus áuonculus:
Méus pater fuít Antimachus, égo uocor Lycónides:
Máter est Eunómia. *Euc.* Noui génus: nunc quid uis? íd uolo
†Noscere. *Lyc.* Filiam ex te tu habes. *Euc.* Immo eccillam domi.
Lyc. Eám tu despondísti, opinor, meo áuonculo. *Euc.* Omnem rém tenes.
Lyc. Ís me nunc renúntiare répudium iussít tibi.
Euc. Répudium rebús paratis éxornatis núptiis?
Ýt illum di immortáles omnes deaéque quantumst pérduint,
Quém propter hodie aúri tantum pérdidi infelíx miser.
Lyc. Bóno animo's, benedíce: nunc quae rés tibi et gnataé tuae
Béne felicitérque uortat: íta di faxint, ínquito.
Euc. Íta di faciant. *Lyc.* Ét mihi ita di fáciant. audi núnciam.
Quí homo culpam admísit in se núllust tam paruí preti
Quóm pudeat quin púrget sese: núnc te optestor, Eúclio,
Ýt si quid ego ergá te imprudens péccaui aut gnatám tuam.

771. Namst *Mueller pros. Plaut. p. 465;* Magna est *libri. De turbis versuum 773 et 774 cfr. Goetz.* 773. eum *add. ego; om. libri.* 775. quisquest *ego;* cuiquam est *libri;* cfr. Asin. 404; indipisces *Nonius p. 129;* inde posces *libri;* excipies *Nonius*; expies *libri.* 776. Quid si *Camerarius;* it (id) *libri.* 779. pater fuit *Leo;* fuit pater *libri.* 781. *versus corruptus necdum probabiliter sanatus.* 784. paratis exornatis *Nonius p. 105;* paratis atque exornatis *libri.* 787. benedice *Pylades;* et benedice *libri.* 791. Quom *Bothe;* Quin *libri.*

Ýt mi ignoscas eámque uxorem míhi des, ut legés iubent:
Égo me iniuriám fecisse fíliae fateór tuae
Céreris uigiliís per uinum atque ímpulsu adulescéntiae.
Euc. Eí mihi, quod fácinus ex ted aúdio? *Lyc.* Cur éiulas,
Quém ego auom fecí iam ut esses fíliai núptiis?
Nám tua gnata péperit decumo ménse post: numerúm cape.
Eá re repudiúm remisit áuonculus causá mea.
I íntro, exquaere, sítne ita ut ego praédico. *Euc.* Perii óppido:
Íta mihi ad malúm malae res plúrumae se adglútinant.
Íbo intro, ut quid húius uerum sít sciam. *Lyc.* Iam té sequor.
Haec própemodum iam esse ín uado salútis res uidétur.
Nunc séruom esse ubi dicám meum Strobílum non repério:
Nisi étiam hic opperiár tamen paulísper: postea íntro
Hunc súbsequar. nunc ínterim spatium eí dabo exquiréndi
Meum fáctum ex gnatae pédisequa nutríce anu: ea rem nóuit.

STROBILVS. LYCONIDES V 1

Str. Di ímmortales, quíbus et quantis mé donatis gaúdiis.
Quádrilibrem aulam onústam auro habeo: quís mest [alter] díuitior?
Quís me Athenis núnc magis quisquamst hómo quoi di sint própitii?
Lyc. Cérte enim ego uocem híc loquentis módo mi audire uísus sum. *Str.* Hem,
Érumne ego aspició meum? *Lyc.* Videón ego hunc seruóm meum?
Str. Ípsus est. *Lyc.* Haud álius est. *Str.* Congrédiar. *Lyc.* Contollám gradum.
Crédo ego illum ut iussi eámpse anum adiisse, húius nutrícem uírginis.

---

793. iubent J. iubeant BDE. 794. fecisse filiae *Camerarius;* filiae fecisse *libri.* 796. ted *Guyet;* te ego *libri.* 797. filiai *Guyet;* filiae *libri.* 800. I intro *B*[2] *Priscian. I p. 38 H.*; Intro *libri.* 802. verum *Bothe;* veri BD. vesi EJ. 807. anu: ea rem *Camerarius;* anueram *libri.* 809. onustam auro *Wagner*; auro onustam *libri.* alter *add. ego; om. libri.* 811. Certe *ego;* Certo *libri*; *cfr. symb. mea Plaut. p. 26.* mi *Wagner;* me *libri.* 813. Videon *Pylades;* Video *libri;* hunc servum *Brix;* hunc (nunc EJ.) strobilum servum *libri.* 814. alius *Pylades;* aliud *libri.*

Str. Quín ego illi me ínuenisse díco hanc praedam * * * *
Ígitur orabo út manu me emíttat: ibo atque éloquar.
Répperi . . . *Lyc.* Quid rèpperisti? *Str.* Nón quod pueri clámitant
Ín faba se répperisse. *Lyc.* Iámne autem ut solés deludis?
Str. Ère, mane: eloquár iam: ausculta. *Lyc.* Age érgo loquere. *Str.* Répperi hodie,
Ére, diuitias nímias. *Lyc.* Vbinam? *Str.* Quádrilibrem, inquam, aulam aúri plenam.
Lyc. Quód ego facinus aúdio ex te? *Str.* Eúclioni huic séni surrupui.
Lyc. Vbi id est aurum? *Str.* In árca apud me: nunc uolo me emittí manu.
Lyc. Égon te scelerum cúmulatissume? *Str.* Ábi ere, scio quam rém geras.
Lépide hercle animum tuóm temptaui: iám ut eriperes ápparabas.
Quíd faceres, si répperissem? *Lyc.* Nón potes probásse nugas.
Í, redde aurum. *Str.* Réddam ego? *Lyc.* Redde, ínquam, ut huic reddátur. *Str.* Vnde?
Lyc. Quód modo fassu's ésse in arca. *Str.* Sóleo hercle ego garríre nugas:
* * * * * * * *
* * * ita loquor * * *
Lyc. Át scin quomodó? *Str.* Vel hercle me énica, numquam hínc feres a me.

---

816. illi me *Pylades;* illum *libri;* praedam * * * * *Ussing;* praedam atque eloquar *libri.* 822. Quod B^2 E^3; Quo BDE. 824. Egon te *Havet révue de philol. XII, p. 189;* Egone te emittam manu *libri.* 829. Reddam ego *ego;* Reddam ego aurum *libri.*

FRAGMENTA

1. Pro illís corcotis, strópheis, sumptu uxório.
2. Vt ádmemordit hóminem.
3. Ego écfodiebam [ante] ín die denós scrobes.
4. Nec nóctu nec diú quietus úmquam eram:
   Nunc dórmiam.
5. Qui mi ólera cruda pónunt, [etiam] halléc duint.

---

3. ante *add. ego; om. Nonius p 225.* 4. eram *Bothe;* eam *Nonius p. 98.* 5. etiam *add. Wagner; om. Nonius p. 120.*

METRA COMOEDIAE HAEC SUNT:

1—119	senarii
120—134	tetrametri bacchiaci
135—139	dimetri iambici acatalecti
140 (141) et 142	senarii
143 et 144	tetrametri cretici
145	dimeter trochaicus acatalectus
146 (147) et 148	tetrametri bacchiaci
149—152	dimetri anapaestici acatalecti
153—160	versus, qui dicuntur Reiziani
161—279	septenarii trochaici
280—405	senarii
406—410	octonarii trochaici
411—413	septenarii trochaici
414	octonarius trochaicus
415—446	versus Reiziani
447—474	septenarii trochaici
475—586	senarii
587—660	septenarii trochaici
661—712	senarii
713—719	tetrametri anapaestici acatalecti
720	tetram. anap. catalecticus
721—725	tetram. anap. acatalecti
726	dimeter anap. catalecticus
727—729	octonarii trochaici
730—802	septenarii trochaici
803—807	septenarii iambici
808—818	septenarii trochaici
819—822	octonarii trochaici
823—826	septenarii trochaici
827—832	octonarii trochaici

TESTIMONIA VETERUM

DE PLAUTI VITA ET OPERIBUS.

Cic. Brut. § 60: Plautus P. Claudio L. Porcio ...... coss. mortuus est Catone censore.

Cic. Tusc. I, § 3: Annis enim fere quingentis decem post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio Caeci filio M. Tuditano coss. anno ante natum Ennium [qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius].

Cic. Brut. § 73: Cui (Ennio) si aequalis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ei, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Naevius.

Cic. de sen. 50: Quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo!

Gell. noct. Attic. III, 3, 14: Sed enim Saturionem et Addictum et tertiam quandam, cuius nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro et plerique alii memoriae tradiderunt, cum pecunia omni, quam in operis artificum scaenicorum pepererat, in mercatibus perdita, inops Romam redisset et ob quaerendum victum ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam pistori locasset.

Hieron. ad Euseb. chron. 1817: Plautus ex Umbria Sarsinas Romae moritur. qui propter annonae difficultatem ad molas manuarias pistori se locaverat, ibi quotiens ab opere vacaret, scribere fabulas solitus ac vendere.

Gell. noct. Attic. I, 24, 3: Epigramma Plauti, quod dubitassemus an Plauti foret, nisi a M. Varrone positum esset in libro de poetis primo:

Postquam est mortem aptus Plautus, comoedia luget
Scaena deserta *), dein Risus Ludus Jocusque
Et Numeri innumeri simul omnes conlacrimarunt.

Gell. noct. Attic. III, 3, 1 seqq: Verum esse comperior, quod quosdam bene litteratos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarunt, non indicibus Aelii nec Sedigiti nec Claudii nec Aurelii nec Accii nec Manilii super his fabulis, quae dicuntur ambiguae, crediturum, sed ipsi Plauto moribusque ingenii atque linguae eius. Hac enim iudicii norma Varronem quoque usum videmus. Nam praeter illas unam et viginti, quae Varronianae vocantur, quas idcirco a ceteris segregavit, quoniam dubiosae non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur, quasdam item alias probavit adductus filo atque facetia sermonis Plauto congruentis easque iam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit, sicuti istam, quam nuperrime legebamus, cui est nomen Boeotiae.

Gell. noct. Attic. III, 3, 10 seqq.: In eodem libro Varronis id quoque scriptum, Plautium fuisse quempiam poetam comoediarum. Quoniam fabulae eae**) Plauti inscriptae forent, acceptas esse quasi Plautinas, cum essent non a Plauto Plautinae, sed a Plautio Plautianae. Feruntur autem sub Plauti nomine comoediae circiter centum atque triginta; sed homo eruditissimus L. Aelius quinque et viginti eius esse solas existimavit. Neque tamen dubium est, quin istaec, quae scriptae a Plauto non videntur et nomini eius addicuntur, veterum poetarum fuerint et ab eo retractatae expolitae sint ac propterea resipiant stilum Plautinum.

Servii comment. in Verg. Aeneid. p. 4 v. 14 seqq. ed. Thil.: De numero librorum nulla hic quaestio est, licet in aliis inveniatur auctoribus; nam Plautum alii dicunt unam et viginti fabulas scripsisse, alii quadraginta, alii centum.

Quintil. instit. orator. X, 1, 99: Licet Varro Musas Aelii Stilonis sententia Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si latine loqui vellent e. q. s.

---

*) est deserta ***libri Gelliani, corr. Orelli.***
) eae ***om. libri; add. Hertz.*

Nonius p. 374: Varro Parmenone: in quibus partibus in argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.

Cic. de off. I, 104: Duplex omnino est iocandi genus, unum illiberale petulans flagitiosum obscenum, alterum elegans urbanum ingeniosum facetum, quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.

Hor. ep. II, 1, 58:

(Dicitur) Plautus ad exemplar Siculi properare
Epicharmi.

Hor. ep. II, 1, 170 seqq.:

Adspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
Quam non adstricto percurrat pulpita socco:
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus cadat an recto stet fabula talo.

Hor. artis poet. 270 seqq.:

At vestri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque
Ne dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.

Gell. noct. Attic. VI, 17, 4: Plautus — homo linguae atque elegantiae in verbis Latinae princeps.

Apoll. Sidon. XXIII, 145 seqq.:

Quid vos eloquii canam Latini
Arpinas Patavine Mantuane
Et te comica, qui doces, Terenti
Et te, tempore qui satus severo,
Graios, Plaute, sales lepore transis?

Gell. noct. Attic. XV, 24: Sedigitus in libro, quem scripsit de poetis, quid de his sentiat qui comoedias fecerunt, et quem ex omnibus praestare ceteris putet ac deinceps quo quemque in loco et honore ponat, his versibus suis demonstrat:

Multós incertos cértare hanc rem vídimus
Palmám poetae cómico cui déferant.
Eum meó iudicio errórem dissolvám tibi

Ut cóntra si quis séntiat, nil séntiat
Caecílio palmam Státio do mímico.
Plautús secundus fácile exuperat céteros,
Dein Naévius, qui sérvet pretium tértiust*);
Si erít, quod quarto détur, dabitur Lícinio.
Post ínsequi Licínium facio Atílium.
In séxto consequétur hos Teréntius,
Turpílius septimúm, Trabea octavum óptinet,
Nonó loco esse fácile facio Lúscium,
Decimum áddo causa antíquitatis Ennium.

---

*) *sic Hertz ind. phil. 17, 708 cum Ritschelio;* pretio in tertiost *libri.*

LIPSIAE
impressit August Pries.